

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS, <sup>1738, 19</sup>  
JO. PHILIPPVS

**S**treit, JCVS,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTO-  
RIS MOGVNTINI CONSILIARIVS  
REGIMINIS,

AD

AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

*ad Cap. fin. X. de Reb. Eccles. alienand. vel non.*

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

*AD DIEM VII. JANVARIJ, M DCC XXXVIII.*

LECTOREM BENEVOLVM  
PERHVMANITER INVITAT.

---

ERFORDIÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

DECAVS

IO. PHILIPVS

DISSENTIVS

EMINENTISSIMO THEOLOGICO DOCTORI  
SIS SOCIETATIS CASIMIRIENSIS  
RECTORI

ANDREAM IN THEOLOGICO

DISSERTATIONEM IN APOCALYPTICIS

LECTOREM BENEFICENTIA

ERFORDIAE  
TYPIS JOHANNIS CHRISTOPHORI HEIBIGII  
ANNO 1708





Es juridice sumpta, est ens, objectivè considerabile, in ordine ad acquisitionem vel dispositionem humanam. A variis variè dividitur, illam autem tantum divisionem, quæ ad præsens propositum pertinet, allegare licet, nempe, quod alia res sit sacra, alia Ecclesiastica sive Ecclesiæ temporalis. Illa est, quæ auctoritate legitima divinis aut piis usibus ritè dedicata aut destinata est, vanis ac profanis actibus non inservit, nec extra casus extremæ necessitatis alienabilis est; Ad has res sacras referuntur Tempia sive Ecclesiæ, in quibus populus Christianus convenit, sacramenta administrantur, Deus laudatur ac honorificatur. Altaria, calices, patenæ, aliaque paramenta ad cultum divinum destinata, item Campanæ, quæ apud Romano-Catholicos benedicuntur & Chrysmate unguuntur, non verò, ut quidam falsò sibi imaginantur, Baptizantur, illa autem benedictio & unctio idèd adhibetur, ut populus sonitu quasi sacro ad laudes divinas convocetur, malignorum hominum ac dæmonum insidiæ repellantur, & noxiæ tempestates fugentur juxta tritum versiculum:

*Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,  
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.*

Res Ecclesiæ temporalis sive ecclesiastica dicitur, quæ est ipsius Ecclesiæ sive communitatis ecclesiasticæ, ordinata ad sustentationem personarum Ecclesiastica-

rum, cujus generis sunt prædia, fructus & reditus beneficiales, vocantur hæ res temporales non rarò patrimonium Christi C. 16. X. de præb. C. 34. de elect. in 6to, sed non immediatè & proximè, cum Deo & cultui divino non immediate, verùm tantùm mediatè, puta, Dei ministris deserviant, earumque dominium & usus ex intentione fidelium, qui bona, pro fundatione, dotatione, restauratione, incremento & augmento Ecclesiarum liberaliter obtulerunt, est penes Ecclesiam. *auth. Ingressi. C. de SS. Eccles. LESSIVS de J. & J. lib. 2. C. 4. dub. 7.* Harum rerum Ecclesiasticarum cura & administratio quibus competat, videantur passim Canonistæ ad rit. jur. Can. de reb. Eccles. alienand. vel non. Quibus omnibus tamen inculcanda est regula, quæ proponitur in Cap. 2. X. de donat. quòd, cum Episcopus & quilibet Prælatas Ecclesiasticarum rerum sit procurator & non Dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare possit, facere vero deteriolem non debeat. Hinc illis Administratoribus & administrandi & alienandi potestas in pluribus ad consensum superioris vel Capituli est restricta. Rectè tamen alienant res mobiles non pretiosas, uti vinum, frumentum, oleum, ipsamque pecuniam, modò fiat talis alienatio in Ecclesiæ utilitatem, quæ nullibi reperitur prohibita, nisi in certis locis consuetudo aut statutum in contrarium obstet, quæ laudabiliter observanda, ne isti administratores, juramenti fortè jam olim Ecclesiæ præstiti immemores, in propria marsupia laborent. Ab alienatione verò rerum pretiosarum, puta, margaritarum, cimeliorum, gemmarum, vasorum aureorum & argenteorum abstineant, nisi ejusmodi vasa jam informia & vetustate corrupta, ac  
in

in illorum locum cultiora & meliora substituuntur. Res immobiles, & quæ illis assimilantur, uti census, in regula alienari prohibentur, atque hæc prohibitio alienationis antiquissima & à primis Ecclesiæ sæculis ad nostra huc usque tempora derivatur. Permittitur tamen distractio rerum immobilium exigui valoris, quales, quæ sint, cum in jure non sit determinatum, iudex pro locorum & Ecclesiarum diversitate, divitiis & copia dijudicabit. Non ideo sit nimium scrupulosus administrator aut Ecclesiæ vel monasterii Superior in alienatione rei immobilis vel census exigui momenti, modo pretium exinde redactum bene vertatur & non dissipetur. Idem dicendum de rebus immobilibus magis nocivis, quàm proficuis, quas inter domus in civitatibus minùs populosis ac numerosis, quæ ratione reparationis & conservationis plus oneris, quàm commodi habent, similiter census ex alienis territoriis non sine incommodo & diminutione petendi ac colligendi non malè referuntur. Alienationis autem vocabulum in præsentis materia non sumitur strictè nempe pro illis actibus & contractibus, quibus dominium in alterum transfertur, sed latè quatenus continet in se omnes actus & negotia, quibus aliquod jus in re vel ad rem in alium transfertur, adeo, ut etiam repudiationem rei Ecclesiæ legatae includat, quamvis hæc quæstio nobilissima multorum Doctorum ingenia huc usque exercuerit, in hoc tamen omnes conveniunt, quod Prælati legatum Ecclesiæ relictum licitè repudiare non possit, incumbit enim ipsi Ecclesiæ utilitatem promovere, adeoque repudiando legatum, cum Ecclesiæ conditionem faciat pejorem, peccat, quæstio igitur tantum est

de validitate repudiationis, quam affirmavit BARBOS. de offic. & potest. Episcop. alleg. 95. n. 52. PIRRHING. ad tit. de reb. Eccles. non alienand. n. 41. REIFFENSTVEL ad tit. de bis, quæ sunt à Præl. sine conf. cap. & alii, è contra probabilius negant post Achoranum, Angelum, Paulum de Castro, MOLINA de F. & F. tr. 2. disp. 463. n. 12. RESCH. de jur. patron. ENGEL de Privileg. monast. privil. 32. n. 9. de qua, aliisque circa hanc materiam occurrentibus controversiis, atque de causis necessitatis, utilitatis, ac pietatis, quæ alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium suadent, publicè ex cathedra occasione Cap. fin. X. de reb. Eccles. alienand. vel non factus discurret

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. CASPARVS CHRISTIANVS  
GVTBIRIVS,

De cuius vitæ ac studiorum curriculo pro more pauca referemus. Editus enim fuit in lucem hujus universi Langensalzæ Thuringorum anno hujus seculi nono Patre, Casparo Andréâ, mercatore, matre, ANNA VICTORIA ex gente Tauschmanniorum oriundâ. Post præmaturum obitum Patris educationem in se suscepit mater, & cum hæc ad secunda vota transferit, nupsitque Juris - Consulto celeberrimo, Domino CHRISTOPHORO THOELDEN J. U. D., qui nunc est Sacræ Regiæ Majestatis Polonicæ a consiliis commissiionum, nec non superior Civiculi Saxo - Thuringici Præfectus, hic illi, cum naturâ pater esse non posset, animo Pater fuit, & istum optimorum magistrorum privatæ institutioni tradidit. Deinde anno 1722. d. 27.




d. 27. Julii in scholam Portensem missus SCHREBERO.  
BESSERO, SCHRAMMIO, FREYTAGIO, HENT-  
SCHELIO, WEIDNERO & HÜBSCHIO Præcepto-  
ribus usus est, & posteaquam musis Portensibus publi-  
ce & solenniter valedixit, suasu JCTi Dresdensis celeberrimi, & affinis honoratissimi Domini KOBERI J. U. D,  
cujus beneficia in se collata honorifice deprædicat, anno  
1728. d. 15. Octobr. Wittebergam se contulit, ap-  
plicuit animum ad Theologiam, & non solum Viros  
celeberrimos WERNSDORFFIVM & SCHROERVUM,  
hunc Theologiam, quam vocant Theticam, illum Hi-  
storiam Ecclesiasticam profitentem, diligenter audivit,  
sed etiam Clarissimi Dni STEPHANI scholas Ebraicas  
sectatus est. Mutavit deinde anno 1729. d. 23. Sept  
studium Theologicum cum Juridico, academiam Wit-  
tebergensem cum Hallensi, & Collegia Philosophica  
Clariss. Dni HOHEISELII frequenavit, nec non Viros  
illustres BOEHMERVM, FLEISCHERVM, & SCHLIT-  
TIVM ad Institutiones & Pandectas commentantes se-  
dulo auscultavit. Deinde etiam anno 1731. d. 31. No-  
vembr. Lipsiam petiit, ibique ab ore JCTorum Celeber-  
rimorum GRIßNERI, RIVINORVM, DINCKLERI  
FRANCKENSTEINI, KÆSTNERI, & KOESELISII  
pependit, ac, quæ ad Historiam universalem, Jus Pu-  
blicum, Civile, Canonicum & Feudale, immo quæ ad  
Praxin Forensensem spectant, indefessus pertractavit.  
Finitis studiis academicis examen pro Notariatu sub-  
iit, in eoque ita stetit, ut ab incluta Facultate Juridica  
Lipsiensi Testimonium Profectuum, & Notarii jura &  
Privilegia facile impetraverit. Tandem Dresdæ ma-  
triculæ Notariorum inscriptus, & ad Patrios Lares re-  
versus,

versus, ad prælaudatum suum Vitricum, Virum illustrem Dominum D. THOELLDEN, se iterum convertit, & sub hujus fidelissima directione, ne aliquando illotis manibus ad Praxin accederet, vices actuarii in Præfecturâ Circuli Saxo-Thuringici Electorali Regiâ, quæ Tenstadii est, per tres annos sustulit. Peractis hisce studiis, ut merita exantlatorum laborum præmia consequeretur, nostram per-antiquam Universitatem salutavit, suumque desiderium pro adipiscendo Doctoratus gradu Ordini nostro modeste exposuit, laudabili petitori annuimus, textus ex utroque jure elaborandos communicavimus, quos doctè resolvit & in examine rigoroso talem se præstitit, ut per suffragia unanimia petitis honoribus academicis dignissimus fuerit judicatus. Futuro ita die Martis d. 7. Jan. lectionem cursoriam *ad Cap. fin. X. de reb. Eccles. alienand. vel non.* hac finitâ disputationem inauguralem

DE  
SENTENTIA IPSO JURE  
NULLA

habebit. Ad quos actus Magnificus Universitatis Rector, nec non reliqui Domini Proceres & Cives Academici perhumaniter invitantur. Publ. sub Sigill. Facult. Jurid. d. V. Jan. M DCC XXXVIII.







Erfurt, Diss., 1730


ULB Halle  
005 367 816



3

V018







FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS, <sup>1738, 19</sup>

JO. PHILIPPVS  
*S*treit, JCTVS,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTO-  
RIS MOGUNTINI CONSILIARIVS  
REGIMINIS,

AD

AVDIENDAM LECTIONEM CVRSORIAM

*ad Cap. fin. X. de Reb. Ecclef. alienand. vel non.*

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

*AD DIEM VII. JANVARIJ, MDCCXXXVIII.*

LECTOREM BENEVOLVM  
PERHVMANITER INVITAT.

---

ERFORDIÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.